



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 273. Et sedebat super eum. v. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

§. 273. *Et sedebat super eum. v. 2.*

Indicando quod sicut ille iam quiesceret sedens, ita Christum Dominum iam vivere in æterna requie gloriosum post suam resurrectionem, nõ amplius vel in minimo passibilem sed securum. Item stabilitam esse pacem inter Deum & hominem, iam cælum apertum, iam victum generis humani hostem infentissimum, iam sigillum mortis & chirographum æternæ perditionis esse refixum, & sanguine Christi deletum.

Benedictus sit igitur Deus Israel, qui fecit nobiscum hanc misericordiam: gloria insuper & honor & gratiarum actio viuenti in sæcula sæculorum. Amen. Nam tales voces lætitiæ & cantica tunc in omni illo monte circa sepulchrum Domini personuisse mihi persuadeo (ex cap. 5. Apocalypsis S. Ioannis) impensas tibi Domine, ab Angelis omnibus, & ijs hominibus sanctis, qui tecum à mortuis resurgere digni visi fuerunt.

§. 274. *Erat autem aspectus eius sicut fulgur. v. 3.*

Descriptio est hic Angeli sedentis ad sepulchrum imprimis quod fuerit sicut fulgur lucidus, & agilis, terribilis custodibus, vt transitus liberior daretur aduentantibus mulieribus Sanctis. Lucidus, tum vt mortis tenebras, quas Luna lucens non satis dispellebat repelleret tum vt cognosceretur non esse Angelus Satanæ & deceptoris, sed bonus missus ad manifestanda opera lucis & resurrectionis Iesu Christi vt & fidem ei haberent nuntianti, & simul aduenientes pulchro suo aspectu, & admirabili voce lætificaret.

Domine Deus meus quis dabit mihi illam gratiam vt ita te quæram semper vt merear moriens videre Angelum sanctum Dei vel custodem vel alios sanctos in facie lucida mecum, vt inde Dæmones terreatur & fugiant, ego vero lætificatus & spe plenus bona migrem ex hoc mundo, Angelo vel sanctis me comitantibus, sedeant igitur hi sancti tui ministri obsecro in Sponda lætuli doloris mei, & mecum sint in die excedentis animæ meæ.

§. 275. *Et vestimentum eius sicut nix. v. 3.*

Altera descriptio Angeli fuit à vestimentis eius quæ fuerunt alba sicut nix, vt & inde cognoscerent esse Angelum bonum vt & cum fiducia eum intuerentur, & luce eius adiuuante intrarent sepulchrum, fidem firmarent, relicta linteamina Christi inspicerent, & in posterum Angelorum pingendorum ratio fundaretur.

Domine vbi tu es vel tui ministri ibi semper lumen est, & claritas, & obscuritas nulla ideo obsecro mecum per ministros tuos, qui me doceant, foueant